

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Patri charissimo suo N.N.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Sapienter consulentibus: in me certè eam sententiam tua grauisima præcepta nõ mediocriter confirmare: quoniam, quantum reserat à teneris relictè adfueri, intelligo. Perge modò mi Tutor, ut, si qua (ceu millia homini accidunt) displicebunt, reprehendas. Non temerè dictum est à sapiente: Meliorem esse manifestam reprehensionem oculata dilectione: & fidelia uulnera diligentis, quàm oscula inimici conuulsiuosa. Quæ sententiæ omnium animis infixæ esse debent: ut intellegamus, multum nos debere ijs, à quibus non uitæ, sed rectè uiuendi principia accepimus. Maxima dicamus beneficia ea, quibus ad ueram pietatem erudimur: ea, quia abs te mihi sedulò sunt præstita, facile agnosco, quauis tibi sim deuinctus nominibus: & quàm mihi sit difficile, tecum certare officijs. Id uerò agam quod mei muneris esse censeo, ac omnibus connitari uiribus, ut tui amoris qualem eunq; percipias fructum, & in pupillum gratissimum tantum te contulisse officiorum intelligis, ut uehementer gaudeas. Vale mi Tutor, & me ut aures cura.

Patri charissimo suo N. N.

S. D. Charissime pater, non dubito te & alios multos honestos homines ualde consternatos esse Lutheri interitu, & quia ipsum propter egregia merita erga Ecclesias boni omnes dili-

gunt: & quia metuendum est, maiores fore dissipations Ecclesiarum, postquam tantus gubernator à specula sua remotus est: tamen cum filius Dei dixerit, Non reliquam uos orphanos: hac nos uoce consolemur, & à Deo defensionem & gubernationem petamus & expectemus. Te quoque oro, ut à luctu animum abducas: ac potius, quod saepe facis, cum Ecclesia tuas preces coniungas. Quod uerò me hortaris, ut doctrinam Theologicam rectè discam: talem mihi patrem gratulor, qui mea studia referre uult non ad quaestionem, sed ad illustrandam gloriam Dei, & ad mores meos honestè pieque regendos. Hunc mihi studiorum finem cum semper proposuerim, gaudeo meum consiliū cum tuo congruere. Et Deum sapientiae fontem oro, ut me gubernet. Saepe toto pectore execror Cyclopes illos, & Epicureos, qui cum se Deus tot illustribus testimonijs patefecerit, tamen eum contemnunt, & nec impiorum poenis terrentur: nec immense bonitatis cogitatione mouentur, quam Deus ostendit prodiens ex suis arcanis, ubi sese humano generi patefecit. O ferrea pectora, quae tantas res negligunt. Me uerò, quantum possum, ad ueram agnitionem & inuocationem Dei exuscito, & doctrinam à Deo traditam rectè & integrè discere conor, ut sim in hoc cœtu de quo scriptum est: Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi laudem,

Oro

Oro etiam Deum, ut meam sororem seruet incolumem, et adiuet ut feliciter pariat. Postremò rogo, ut telam mihi ad faciendum thoracē et caligas mittas. Bene uale.

Alia.

Charissime Pater. Postquam huc nunciatum est, quatuor & uiginti horrea incendio periisse, quorum pleraq; adhuc frumenti plena fuerunt: et in his tuum horreum unā conflagrasse, ualde consternatus sum: & incepi (ut fit in dolore) gemens & lachrymans, animo repetere detrimenta quæ amea accepisti, et publicas difficultates huius temporis, ac nostræ ciuitatis inopiam: quarum rerum omnium cogitatio mihi moesticiam ualde auxit.

Moueor & priuatis & publicis incommodis: sed multo magis de te & matre sum sollicitus, ac uereor hanc moesticiam uobis morbum aliquem allaturam esse. Etsi autem scio te uirum præstanti uirtute & robore animi præditum, res aduersas moderatè ferre: tamē ad te scribendum esse duxi, quo te hortarer, ut uel propter matrem tuam dolorem fortius reprimas, & illam erigas illis consolationibus quæ nobis in cœlesti doctrina proponuntur, quas optimè nosti. Castigat nos Deus, non ut funditis nos opprimat: sed ut ad inuocationē nos exuscitet, quam si præstabimus, Deus hæc damna nobis sarciet: ut & lobo & multis alijs amissas fa-

M 5 cultates